

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6825

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Poitiers, Saint-Jean de Montierneuf (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1160

Lieu d'émission : Chinon

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation d'un accord conclu entre les abbés de Montierneuf et de Bourgueil, au sujet de l'église de Migné (Vidimus de 1305).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CXL, t. 1, p. 249.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Michael Amici, canonicus Beate Marie Majoris et Beate Radegundis ecclesiarum Pictavis, custos sigilli regis apud Pictavim constituti, salutem in Domino. Noveritis nos vidisse ac diligenter inspexisse quasdam litteras sigillo magno bone memorie Henrici, quondam regis Anglorum, ducis Normannorum et Aquitanorum, comitisque Andegavorum, in filo sirico sigillatas, non abollitas, ut prima facie apparebat, sub hac forma.

Litterarum noticia, fida memorie famulatrix et geste rei simulacrum ad excludendas quorumlibet calumpnias ad veritatis prevalet testimonium. Quocirca ego Henricus, Dei gracia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, universitati fidelium per scripti et sigilli nostri presenciam signifffico inter Aymericum Burguliensis et Heliam Novi Monasterii abbates et suarum ecclesiarum conventus super ecclesia Magniaci et ejus pertinentiis habitam diu controversiam ad pacem et concordiam nostra auctoritate perductam hoc modo. Predictorum siquidem abbatum eo quod nobis digne displiceret litigium, ne utraque ecclesia, de nostris et antecessorum nostrorum dotata et locupletata largicionibus, ulterius super hoc detrimentum pateretur, utrumque nostram vocavimus ad presenciam, et sapientibus viris Joscio Turonensi archiepiscopo, Laurencio Pictavensi, Guillelmo Cenomanensi, Matheo Andegavensi episcopis, Johanne Petragorensi clerico et multis aliis personis religiosis nobiscum adsistentibus, benignissime eos commonuimus ut inter se formarent pacem, que, Deo annuente, nostra commonicione nostraque auctoritate, sic inter eos formata est: quod in Magniaci ecclesia et ejus pertinentiis Burguliensis abbas ad jus sui monasterii, parte alia hoc negante, pertinere asserebat, abbati et ecclesie Novi Monasterii perpetuo possidendum quiete dimisit, pro qua dimissione octo libras Andegavensis monete sub annua pensione in pedagio Sancti Nicolai Pictavensis abbas Monasterii Novi et ejus conventus Burguliensi monasterio perpetuo sibi quiete habendas ascripsit, ita ut ad voluntatem Burguliensis abbatis vel cui precipiet, et ad voluntatem prioris Sancti Nicolai, qui illud pedagium recipiat consignatum, quolibet anno sub annua pensione, sive illud

sub ministerio, securitatem prestabit abbati Burguliensi vel priori Sancti Porcarii quod de primo reddito pedagii annuatim reddat monasterio Burguliensi predictae monete libras octo, de reliquo similiter securitatem prestabit priori Sancti Nicolai sibi reddendo. Si vero predicti pedagii redditus ad predictam forte non suffecerit pensionem, vel si omnino quoquo modo diffeceat (sic), abbas et conventus Novi Monasterii Burguliensi monasterio in locis et redditibus competentibus et certis assignabunt quod deerit ad predictae pensionis perfectionem. Hanc compositionem, factam per manum nostram, nostro sigillo et predictorum episcoporum testimonio communiri fecimus, et Deo auctore firmam teneri faciemus.

Testes sunt: Joscius Turonensis archiepiscopus, Laurentius Pictavensis, Guillelmus Cenomannensis, Matheus Andegavensis episcopi, Johannes Petragoricensis clericus, Fulco de Oratorio, Robertus de Nobiliaco, Garnerius Sancti Juliani abbates, magister Ernaldus, Petrus archidiaconus Pictavensis, Guillelmus cantor, magister Meschinus, Fulco prepositus, Hugo thesaurarius, Cholvinus arch., Raginaldus capellanus Turonensis, Gauffridus decanus, Gauffridus thesaurarius, Gauffridus archipresbyter Andegavis, Petrus prior Sancti Nicolai, Hugo prior Novi Monasterii, Michael prior Faie, Johannes prepositus, Petrus granetarius, Reginaldus sacrista, Petrus elemosinarius, Aimo prior Ansberie, Willelmus prior Lolaii ; isti fuerunt monachi Novi Monasterii. Ex parte autem Burguliensis ecclesie, Hemicus sub-prior, Petrus sacrista, Guarnerius elemosinarius, magister Petrus Oliverius prior Miribelli, Benedictus monachus, Stephanus, Philippus, Fulco, Bonus Infans ; hoc firmiter concesserunt capitula utriusque monasterii. Actum est hoc Cainoni, anno ab incarnatione Domini M° C° LX°, epacta XI, concurrente V, indictione octava, octavo idus aprilis, sexto anno regni nostri.

In cujus visionis et inspectionis testimonium sigillum predictum regium huic presenti vidisse seu transcripto duximus apponendum. Actum et datum die lune post festum Beati Martini yemale, anno Domini M° CCC° quinto.
— Collatio facta est per Johannem de Seys.